

bus Sectarum jam adductarum commemorabo; neque controversias singulas circa Tribaresium Judæorum notissimum, Nicolaum Serarium inter, qui Tribaresium & Minervale scripsit, ac Josephum Scaligerum, elenchi Tribaresii auctorem, cui in refutando Serario socias junxit manus Job. Drusius conscripto Comment. de III. Sectis, exortas, tentabo excutere. Moneo tantum, quod longè plura sectarum Judaicarum nomina reperire liceat, cum Justinus Martyr. in Dial. cum Triphone, Eusebius Lib. IV. H. E. c. XXI. ex Hegesippo, ac Epiphanius singuli septem recenseant Sectas, ita tamen, ut nomina adhibita longè diversa sint, quibus si addantur ea, quæ Isidorus affert Lib. IV. Orig. hæresium illarum, juxta calculum Jac. Rbenferdii Ling. Or. Prof. Franck. in Exerc. Philol. de fidei Judæorum hæresibus, sunt XIV, imò etiam ad XXVIII numerantur à quibusdam, notante B. Müllero *Judaism, Proleg. p. 64.* & ex eo B. Pfeiffero *Theol. Jud. p. 183.* Et memoratus quidem Rbenferdus numerum Sectarum illarum in scripto citato imminuere studet, verum sic, ut modum, quo hoc effectui dare voluit, post tractatum recensitum rejiciat Tenzel. *Colloq. Menstr. An. 94. p. 895.* Qua de re tamen, ut jam dictum, multa commemorare opus non erit, quia h. l. satis est cum ante laudato B. Pfeiffero de principalioribus quodammodo dixisse. Noto porrò, dividi Judæos generatim posse in doctos atque indoctos. Illi חכמים i. e. sapientes vel תלמידי חכמים discipuli sapientum, hi verò contemptim עמי הארץ populus terra à Scriptoribus Judaicis vocantur, prout & ex sacris literis Job. VII. 48. 49. prærogativam sapientum præ populo perspicere licet, quando ibi quærent summi Sacerdotes ac Pharisei: *An ulli Gubernatorum aut Phariseorum in eum (Jesum) credunt, sed populus hic, qui legem nescit, execrabilis est.* Exempla divisionis illius aliquot ex Judæis affert Ligebs. in *Harm. 4. Evangelistarum ad Lucam p. 517,* quorum modo ultimum adducam, quod ex Maimonide *Talm. Tora Perek III.* est petitum seq. verbis: *spurius, si sit discipulus sapientum, pluris fit, quam summus populi (i. e. indoctus) Sacerdos, quorum etiam directe facit illa ex Schabb. fol. 152. à Buxt. in Lex. Chald. p. 751. citata sententia:*

חכמים כל עור שהם מוקינים חכמה נתוספת בהם
 עמי הארץ כל עור שהם עוקינים טפשות נתוספת בהם

בהם